

cum virili membro semper tento, adeò, vt quoties meieret, nisi obiecta tabula vmbilico id prohiberet, vultum lotio spargeret, Imperii Anno xxxi.

In huius Numismatis reuerso, adparet imago Imperatoris in curru triumphali, & in limbo scripta hæc verba latina leguntur: SUPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVI, ET CONCVLCAVI LEONEM ET DRACONEM. In medio locata sunt hæc Græca: Δόξα γν̄ ὑψίστοις θεῶν, ὅτι διέξῳσε σιδ̄ηρῶς πύλας, καὶ ἐλευθέρωσε ἀγίαν βασιλεῖαν Ἡρακλῆος.



FABIA EUDOCIA prima vxor Heraclii, ex qua Epiphaniam filiam & Heraclium paruum, qui & nouus Constantinus, seu paruus Heraclius appellatus est, quem ab ineunte ætate sacro Diadmate adornauit pater, pauloque post Eudocia vita functa est.

Aliam vxorem habuit Heraclius MARTINAM fratris filiam, quam Augustam dixit. Ex qua genuit Heraclionam, qui & Fabius est nominatus, & alium filium David dictum.



HERACLIVS, qui & Constantinus iunior, vel nouus dictus, rectæ, & veræ pietatis cultor, Imperium à patre acceptum,